



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

§. 25. Opera exteriora spiritu interiori animanda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

ab inanibus ludorum negotiis, à torpore pigritiæ, ab honorum ambitu, à laudis cupiditate, ab amore pecuniæ abstineant. Itam omninò pellant, & alteri non faciant quod pati nolunt. Nihil remissè agant, nihil audacter, nihil sistè, aut per simulationem. Quodcumque officium vitæ Christianæ, quæcumque exterior virtutis exercitatio, si careat interiori spiritu & veritate, nihil aliud est, quàm hypocrisis & actio scenica. Solent nonnunquam viri nefarii præclara sanctorum gesta in theatro representare. Hic Martyris constantiam, ille Virginis modestiam, aut Apostoli, vel Christi heroicos actus egregie simulant; sed actione peractâ alienam personam deponunt, suamque turpem, & impurissimam suscipiunt. Simili modo, qui opera exteriora in solam speciem, & inanem ostentationem exercent, veluti histriones sunt, & scenici jaculatores, qui omni virtute & sanctimonia destituti, viri sancti personam in scena gerunt, quorum vita, & mores nihil aliud quàm fabula sunt. Ideo pauci ad Christianæ perfectionis fastigium pertingunt, quia opera sua in spiritu veritatis non perficiunt. Prævalent Christi exemplis, & præceptis falsa mundi axiomata, & communes virtutum notiones à natura insitæ perverfis hominum opinionibus depravatæ ad vitia detorquentur. Cum ergo inter homines falsis doctrinis imbutos vivamus, debet quisque in seipsum crebrò inquirere, an & ipse ignoret quæ recta sunt, & an rectè fungatur officio suo. Via veritatis una est, & immutabilis, per quam qui recto tramite cupit incedere, non terram intueri debet, sed cælum; non homines sequi, sed Deum, qui Via, Veritas, & Vita est.

S. XXV.

Opera exteriora spiritu interiori animanda.

Cavendum, ne sensus in actionibus nostris primam sibi sedem usurpent, inde etenim omnia mala emergunt. Sensuum occasus veritatis exortus est. Ideò vix possumus nobis ipsis polliceri aliquid nos egisse, quod omni ex parte bonum fuerit, quia licet gratia impellente, & cooperante, multa propter Deum operari ceperimus, non sumus gratia fideles, statimque labimur ad nos ipsos. Episcopo Sardis dictum est ab Angelo: *Non invenio opera tua plena coram Deo*

meo (Apoc. 3: 2.) Nam preces, jejunia, elemosynæ, & alia ejusdem generis opera plena sunt coram hominibus, qui solam faciem vident, sed vacua coram Deo, qui intuetur cor, nisi purâ & simplici intentione Divini beneplaciti perficiendi, & spiritui interiori impleantur. In Evangelio decem Virgines commemorantur, quarum quinque fatuæ exclusæ sunt à nuptiis, non defectu virginitatis, aut lampadarum sive operationum, sed quia deficit oleum bonæ intentionis, & sanctorum affectionum. Idem nobis eveniet, nisi opera nostra spiritu interiori, & Dei amore animentur, ut placeant Deo. Vita exterior apud omnes Christianos eadem est, sed sicut horologii extima facies ab interioribus rotis pendet, & ab intimâ corporis constitutione vividus color procedit: ita boni à malis ex interiori spiritu discernuntur. Regnum Dei intra nos est.

S. XXVI.

Operum perfectio unde oritur.

Sicut qui multum comedunt semper viribus imbecilles sunt, corpore malè affecto, & ad extremam maciem redactò; quia nimirum stomachi sui mensuram ignorantes, plus illi ingerunt, quam ferre possit: alii ex adverso frugali mensâ contenti, quia cibum exiguum sumunt, & qui facile digeritur, validis semper viribus sunt, & ad extremam senectutem incolumem vitam producant. Ita nonnulli, quamvis multa peragant opera bona, nihil ferè in via Christianæ perfectionis proficiunt, quia videlicet præpostero cursu ambulantes, tunc se maxime progredi putant, cum plura, quamvis remissè & segniter operantur, cum potius eniti debeant, ut ea quæ agunt ferventiùs indies, & perfectiùs peragant; in hoc enim operandi modo perfectionis incrementum consistit, non in tepida operum congerie, & multiplicatione. Alii verò parum operantur, & in Amore Dei plurimum crescunt, quia quæcumque faciant, etsi minima, & pauca sint, majori semper fervore, ac puriori intentione perficere student: atque ita se gerunt in omnibus operibus suis, ut in fine singulorum magnum illud verbum Christi in cruce pendentis non immeritò usurpare queant, *Consummatum est (Joan. 19: 30.)* Perfeci quod Deus à me